

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 “Atque ego idem existimavi pecudis esse, non hominis, cum tantas res Graeci susciperent,
2 profiterentur, agerent seseque et videndi res obscurissimas et bene vivendi et copiose
3 dicendi rationem datus hominibus pollicerentur, non admovere aurem et, si palam audire
4 eos non auderes, ne minueres apud tuos civis auctoritatem tuam, subauscultando tamen
5 excipere voces eorum et procul quid narrarent attendere. Itaque feci, Catule, et istorum
6 omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.”

7 “Valde hercule” inquit Catulus “timide tamquam ad aliquem libidinis scopulum sic tuam
8 mentem ad philosophiam appulisti, quam haec civitas aspernata numquam est; nam et
9 referta quondam Italia Pythagoreorum fuit tum, cum erat in hac gente magna illa Graecia;
10 ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt, qui
11 annis ante permultis fuit quam ipse Pythagoras; quo etiam maior vir habendus est,
12 quoniam illam sapientiam constituenda civitatis duobus prope saeculis ante cognovit,
13 quam eam Graeci natam esse senserunt; et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria
14 clariores aut auctoritate graviores aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L.
15 Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. Atque ego
16 hoc ex eis saepe audivi, cum dicerent pergratum Atheniensis et sibi fecisse et multis
17 principibus civitatis, quod, cum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tris
18 illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem et Critolaum et Diogenem;
19 itaque eos, dum Romae essent, et a se et ab aliis frequenter auditos; quos tu cum haberes
20 auctores, Antoni, miror cur philosophiae sicut Zethus ille Pacuvianus prope bellum
21 indixeris.”

22 “Minime,” inquit Antonius; “ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud
23 Ennium ‘paucis: nam omnino haud placet.’ Sed tamen haec est mea sententia, quam
24 videbar exposuisse: ego ista studia non improbo, moderata modo sint: opinionem istorum
25 studiorum et suspicionem artifici apud eos, qui res iudicent, oratori adversariam esse
26 arbitror, imminuit enim et oratoris auctoritatem et orationis fidem.”

II. Sprachliche Erläuterungen

- 1.** Welcher Kasus liegt bei *quo* (11) vor?
- 2.** Erläutern Sie die Verwendung von *modo* (24).
- 3.** Was verstanden die Römer unter *magna Graecia* (9)?
- 4.** Geben Sie Erläuterungen zu den in Zeile 14f. genannten Namen!